Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36524
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

161

affectibus anime insidiosos laqueos prestruentes quibus eam senserint egrota-
re. ut ubi gratia eum viderint rationabiles anime nostre partes esse vitiatas
illo nos ordine decipere moliantur. quo benadab regem [s. israhel] ab illis syris de-
ceptum scriptura commemorat. qui dixerunt: Scimus quod reges israhel misericordes
sint. ponamus itaque saccos in lumbis nostris et funiculos in capitibus nostris et egre-
diamur ad regem israhel et dicemus: servus tuus benadab dicit: vivificat anima
mea. Quibus ille non vera pietate sed vana misericordie laude. si adhuc inquit
vivit frater meus est. Et hoc exemplo etiam nos rationabilis illius partis errore
deceptos inde incurrere offensam dei faciant. unde esse secuturos mercedem
dei ac recepturos nos pietatis premia credebamus. similiterque etiam nobis incre-
patione dicatur: quia dimisisti virum dignum morte de manu tua. erit anima
tua pro anima eius et populus tuus pro populo eius. Sive cum inmundus spiritus dicat
egrediar et ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. per racionabile pro-
culdubio affectum quem letalibus aptum noverat insidiis laqueum decep-
tionis ac mortis incurrens. Sic etiam herodem per irascibile anime por-
cionem adulta tanto et insontium necem callidissimus hostis impegit. eo
quod istam per pensionem in eo norat esse viciatam. quod etiam de domino nostro idem spiritus opinatus
eum in his eum tribus anime temptasset affectibus in quibus omne genus hominum
noverat captivari. nihil tamen versutias perfecit insidiis. nam concupisci-
bile nimis eius aggressus est partem dicens: dic ut lapides isti panes fiant.
Irascibile cum eum ad expetenda presentis seculi potestatem et regna huius mun-
di instigare conatus est. Racionabile cum diceret: si filius dei es mitte te deor-
sum. In quibus idcirco nihil perfecit illusio. quia nihil secundum coniectu-
ram suam. quam falsa opinione ceperat repperit in eo esse viciatum. Unde
et nulla pars anime eius inimici insidiis ad temptanda consensit. Ecce
enim inquit venit princeps mundi huius et in me invenient nihil. XII.

GERMANUS. Inter cetera illusionum errorumque nostrorum genera que nos ad
desiderium patrie nostre sic beatitudo tua sollerti mentis perspexit
intuitu. vana spiritualium commodorum pollicitatione flammaverant.
etiam hec vel maxima extitit causa. utcumque a fratribus frequentati
iugi secreto ac diuturno silentio. secundum desiderium nostrum nequaquam
possimus inherere. per quod necesse est cursum atque mensuram cottidiane